



ris  
fil  
ula/  
one

uma







Simo. Begnii  
 Episcopi Modru-  
 sien. Oratio i Sex-  
 ta Lateran. Locilii  
 Sessione. Quinto  
 kalen. Maias ha-  
 bita. M. D. xiii.



S. Begnius Epus Modrusien. Bernardino de Fragepanibus  
Modrusia zc. Comiti. Salutem.

**C**onstitueram omnino: Princeps Illustris: Orationem hanc  
non edere: utpote quae silentio potius praemi: quam in homi-  
nibus exire notitiam mereatur: Ne si quid fauoris: aut gratiae  
(dum recitaretur paulo ante) consecuta est: totum id nunc: sua in lu-  
cem prodeundi temeritate: disperat. Cum praesertim: nullo eru-  
diti laudatoris elogio muniatur: nulloque commendationis titu-  
lo praesferat. Nosti uero tu: qui non subsicivis modo tempo-  
ribus: sed inter arma: inter gladios ipsos: scribis aliquid sem-  
per: aut transfers: quantum referat: audiatur oratio: an legatur:  
& in cuius aurem ueniat: a quo probetur. Verum mea haec (ut in-  
genue fatear) non ostensionis: sed fidei: & ueritati innititur. Ma-  
lui enim communes calamitates: aperta oratione: nudis uerbis  
& excusso (ut dicitur) sinu denudare: quam exquisitis uerbis: aut  
ementitis locis: rem ipsam per se uerissimam inumbrare. Cum  
doctis actum est: quorum animis probe insinuari posset: habita-  
est oratio: Et qui ueritatem dicit (iuxta illud sapientis) non labo-  
rat. Nam & miserabiles hominum conciones plus interim effica-  
ciae obtinent: & magis mouent: si res ipsae: de quibus agitur: iis-  
dem: quibus concluduntur terminis: & eadem illa: qua sunt facie  
sine cultu: sine affectatis (ut aiunt) cincinnis exhibeantur. Si quid  
uero nostra hac profecerimus oratione: Tu: & nostri omnes: imo  
Ecclesia omnis intelliget. Ego certe nihil dubito Leonem Pont-  
nostrum Max. in quo aequa semper fuit bonitati liberalitas: pru-  
dentiae charitas: integritati magnanimitas: & hunc etiam sacro  
sanctum Cardinalium Senatuum: non nos: non nostros tantum: pro quibus  
etiam Saluator noster humanitatem subiit: & passus est (haud despici-  
endam gregis dominici partem) sed christianam rem. omnem: hancque aplice  
sedem: hanc templam: has aras: hos penates: hanc sacra: hanc prouincia-  
rum Principem: & orbis caput Urbem Romanam: sequi adeo: & sa-  
lutem propriam conseruaturos. Vel: si nil magis hac industria con-  
secutus ero: id saltem efficiam: ut officii mei: nullo unquam tpe  
penitentia subeat: Quin: & uera praedixerim: & necessarium rem-  
medium: pro uirili: implorauerim: Quod etiam: si debito euentu de-  
stituat: Et tibi: & nostris: qui animum in re hac expedere statu-  
erunt & mihi etiam ipsi fiet satis: Vale.

Oratio

N

rare tan-  
culpa d-  
cui dat-  
quae ca-  
ei: uerit-  
dinem  
ribus c-  
lum A-  
prolab-  
cii spec-  
pacific-  
rum ca-  
lium b-  
alia ali-  
Ego u-  
facturu-  
Quip-  
gnitat-  
tempo-  
do esse-  
quid: c-  
uincia-  
rem. V-  
succur-  
de pro-  
contra-  
te illa-  
coram



379

Oratio per S. Begniū Epum Modrusiē. in Sexta Sessione  
Lateraneē. Synodi habita.

**N**emo unq̄ extitit: Pater beatissime: Vosq; Patres am-  
plissimi: qui sua uirtute: suo ingenio nisus nostrū hoc  
Cœlum transcendere potuerit: quandoquidē compa-  
rare tantū arte: ut industria: nunq̄ possumus: ut unde nostra  
culpa decidimus: nostra eodem uirtute resiliamus. Quod si  
eui datū est aliquādo (datum est aut̄ multis) fœlicitatem illā:  
quæ ceteras omneis īmensitate: æternitateq; superat: adipis-  
ci: ueritatis eum pater attraxit. Hæc nanq; una est ad beatitudi-  
dinem uia: Ipsa est principiū: Ipsa finis. Hanc qui propriis uir-  
tibus confidunt: relinquentes nō ferme secus q̄ Thaletem il-  
lum Asianū decidisse referūt: in errorē dānationisq; foueas  
prolabuntur. Haud aliter certe a ueritate ipsa: & diuini iudi-  
cii speculo facies suas auerterunt: qui loquētes in dolo uerba  
pacifica: innumeras fere ecclesiæ calamitates intulerūt. Qua-  
rum causa: Oecumenicū illud: primū omniū: & innumerabi-  
lium bonorū seminariū: apud Niceam Bithyniæ Urbem: &  
alia alibi multa Concilia coacta & celebrata esse legimus.  
Ego uero: in hac Lateraneē. Concilii continuatione: uerba  
facturus: tamen si leue dicendi munus suscepisse me arbitror:  
Quippe: qui certus sim: uos & officii uestri memores: & di-  
gnitatis tales uos Christianæ religioni exhibituros: quales  
tempore: & rerum: de quibus agendum est: ratio: ac magnitu-  
do esse iubet. Cum hac tamen præfatione dicam Patres: ut si  
quid: quod dicendū a me fuisset: omiserō (tanta est huius Pro-  
uinciæ difficultas) ueniam me ab omnibus impetraturū spe-  
rem. Vos uero si (que uestre partes sunt) labētī Ecclesiæ non  
succurreritis: quid spei: quid subsidii reliquū sit: iudicate. Itaq;  
de promissa toties Ecclesiæ reformatione: deq; Sanctissima  
contra Turchos expeditione: q̄ breuissime dicturus: a uerita-  
te illa opem: atq; auxilium implorabo: quæ loquuturis nobis  
coram Regibus: & Præsidibus Spiritus sancti facundiā pol-



licetur. Tu igitur dñe: qui os hominis fecisti: qui mutum: sur-  
dum: uidentem: & cæcum fabricatus es: pone custodiam ori  
meo: & hostiũ circumstantiæ labiis meis: ut quæ tuo nomine  
digna sint: quæ Leoni Pontifici nostro maximo: huiusq; Patri-  
bus: ac dominis: & uniuersæ Eccl̃iæ salutaria fuerint: perstrin-  
gere ualeam.


Quando ita constitutũ est a natura: ut omnia orta occidant:  
plurimũ certe debemus maioribus nostris: qui: cũ perpetuo  
esse nõ possent: usq; adeo nobis prospexerunt: ut nisi: qui om-  
nem exiit humanitatem (rerum gestarum memoria) & præ-  
sentem uitam corrigere: & futuram etiam recte ducere (sua  
sponte) unusquisq; possit: ac ualeat. Cuius etiã rei gratia: sta-  
tuariam: & sculpturæ: & picture Artes sagacissima mortalitas  
adinuenit: ut qui litterarũ notitiam non habent: inspectis ma-  
gnorũ uiroꝝ imaginibus: ad bene uiuendũ excitentur. Tum  
etiam: ut maiores natu præclara illoꝝ gesta a generatione in  
generationem proferant: & promittant. Nobis uero maiorũ  
nostrorũ studio: atq; uigiliis tantopere consultum est. Nobis  
ex Euangelicæ legis institutionibus: & Christi Legislatoris  
nr̃i actionibus: totius uitæ norma ita præscripta est: ut illinc:  
ueluti ex Archetypo quodã & exẽplari quid fugere: quid ue-  
sequi debeat unusquisq; depromere possit: simulq; qualem se  
sibi: & qualem alteri exhibere teneatur: apertissime sciat. Et si-  
cut pro honore: pro potẽtia: pro Imperio: pro republica ani-  
marũ prodigos: & extrema quæ perpeffos fuisse nõnullos re-  
fert antiquitas: Ita nos quoq; pro Christiani nominis hono-  
re: animas nostras odisse debemus in hoc mundo: pro chris-  
tiana fide: nihil arduũ: nihil terribile expauescẽtes: Pro xp̃ia-  
ne relligionis imperio: agrum dominicũ excolere: uitia ex-  
tirpare: uirtutes ferere debemus. In hac uero xp̃iana republi-  
ca corruptelas omneis tanq̃ boni Ciues explodamus: errata  
corrigamus: Instituta: quæ malorũ studiis in desuetudinem  
abierunt: ad cõmunem bonorũ usum reuocemus: Pacẽ ame-  
mus: amicitias celebremus. Et tales deniq; nos: qui tanq̃ lu-

minaria  
clesia de  
sequant  
bis imp  
rum rati  
gustini  
facere n  
sitis aliq  
etiam in  
illis non  
gorio u  
plurimũ  
time suo  
mentem  
tui Cler  
Vibanc  
tius sept  
Abdica  
dinaliũ  
stetisse  
Ioanne  
ferme a  
legitim  
erat: ut  
Cathol  
ipsis lor  
Nostris  
tem sub  
porum  
buissem  
quasi in  
cernam  
dam pr  
testis Pa



minaria in mūdo lucere debemus: exhibeamus: ut qui in Ec-  
 clesia dei sunt: nostra bona opera uelut e/specula uideāt: quæ  
 sequantur: Illis uero: qui: cogente necessitate: auxilium a nos-  
 bis implorant: charitatis uiscera ostendamus: ne si præmisso  
 rum rationem nō habuerimus: Lupi: & impudici (iuxta Au-  
 gustini sentētiam) iudicemur. Sed dicturus iam de his: quæ  
 facere nos oportet: rem alius aliquantulum repetam: ut recē-  
 sitis aliquorū malorū oppræssionibus: quanta nos deinceps  
 etiam incōmoda maneant: si uestro studio: uestra prudentia  
 illis non occurratur: cognoscatis: inspiciatis: attingatis. *Greg*  
 gorio undecimo: cui ob restitutam Italiae Romanam Curiā:  
 plurimū debemus: Romæ uita functo Urbano Sextus legis-  
 time successit. Quod cum Cardinales Galli incusarent: Cles-  
 mentem Septimū deligūt: eidemq; Alii Cardinales in demor-  
 tui Clementis locum Benedictum Tertiū decimū substituūt.  
 Urbano Bonifacius eo nomine nonus: Bonifacio Innocen-  
 tius septimus: Innocentio Gregorius duodecimus succedūt.  
 Abdicatisq; deinde in Pisano Concilio: cōmuni omniū Car-  
 dinaliū consensu: Gregorio: & Benedicto: q̄ promissis non  
 steterunt: Alexander quintus eligitur: In cuius postea locum  
 Ioannes uigesimus tertius sufficitur. Et ita per Quadraginta  
ferme ānos: multis uariisq; incōmodis afflictā Ecclesia Octo  
legitimos mixtimq; pseudo Pontifices habuit. Eorū uentum  
 erat: ut cum uelum templi dei triphariam scissum Ecclesiam  
 Catholicam protegere: ac circūfouere nequiret: Scismaticis  
 ipsis longe lateq; debacchandi occasionē præbuit ei pestis:  
 Nostris uero in nos ipsos: & nostra uiscera defruēdi fomis  
 tem subministravit: non tamen sine suspitione: q̄ illoꝝ tem-  
 porum Pontifices: qui bella extinguere: discordias tollere de-  
 buissent: suscitarent ea potius: atq; nutrīrent. Quibus rebus  
 quasi in præceptum est: Et nisi deus optimus maximus lus-  
 cernam illam de domo Dauid internitioni nunq̄ demandā-  
 dam promississet: quid de nobis nunc esset arbitrari facile pos-  
 testis Patres amplissimi. Quare: cū nemo esset: qui languens

*causat malis illorū  
 tporū in ecclia.*





*Sigismundus*  
si Ecclesiae opem feret: recordatus deus uerbi sui Augustissimi  
mi illius tunc Romanorum: & Vngariae: nunc candidissimam  
animam Sigismundi Regis spiritum suscitauit. Qui tanquam pru-  
dentissimus Sanson: & fortissimus uiroꝝ Gedeon temporum  
magis quam comoditatis suae habuit rationem: Sed quid tanto  
Principe dignius: quid omnipotenti deo gratius: quid quod  
uniuersae Ecclesiae ex usu magis esset: facere potuisset: Et cum  
dignitatis suae ratio: & rerum necessitas ita exposceret: nulla  
eum itinerum laborumue difficultas dehortari: aut ab opti-  
mo unquam proposito deducere ualuit: Ita: ut non prius conque-  
uerit: quam tribus illis: qui de Pontificatu contendebant: abdicatis  
deiectisque: huic sanctae Sedi legitimum Pontificem: Pacemque  
plusquam aurum desiderabilem dederunt. Martinus Quintus is  
fuit: unicum (mea sententia) & praesentaneum tantis malis re-  
medium: Ante cuius ad Urbem aduentum: uniuersae Ecclesiae  
pax restituta est. Quieuius tunc aliquandiu: periclitati sumus  
iterum: Rebus enim sic (ut diximus) foris compositis: & Mar-  
tino uita functo: omnis belli moles in Eugenium recidit: Qui  
post amissas nonnullas Vrbes: & oppida: post suscitatum in Vr-  
be tumultum: fuga salutis suae consuluit. Superuenienteque Bas-  
siliensis Concilii tempore: cum tollere illud frustra tentasset  
(quantus est censurae meae: quanta Concilii auctoritas) Bo-  
noniam primo id transtulit: Basileam deinde id ipsum appro-  
bavit: Rursum Ferrariam: Et demum Florentiam conuocauit.  
Basiliensis tamen Conuentus Patres: contra sanctissimae Nis-  
cenae Synodi decreta: praeter Romani Pontificis sententiam  
& auctoritatem: Concilium licet Acephali conuocantes &  
prosequentes (ut hoc quoque caeteris illius congregationis ma-  
lis adnumerauerim) abdicato Eugenio: Amadeum Sabaudiae  
Ducem suffecere. Quod tamen temere factum: Ecclesiae ta-  
men plurimum obfuit: Nam & tripliciter scissa tunc est: & lon-  
go post tempore: ad ueram unitatem reduci uix potuit: re-  
nascentibus semper aliis & aliis nouis ac grauissimis bellis:  
quae tanti boni effectum impediabant: Eugenio tunc: & Ni-

colao p  
id dem  
ipsum a  
tatione  
Peræ ex  
obtrun  
ris: ac sp  
mis: An  
nitissim  
ficis Leg  
defende  
praeda:  
cum on  
cum tor  
ci parte  
& chari  
postpo  
medita  
Sed tot  
ificis m  
nostris  
Serpent  
uicino  
uina ira  
at p epy  
diarum  
hemor  
bentis:  
nia: aut  
eis suaf  
res: ut  
Quae u  
bitror:  
caim: a



colas postea Italiam frustra placare conantibus: Effecit tamē  
 id demū Nicolaus: ubi Amadeus: de quo dixi: Pontificatu se  
 ipsum abdicavit: summa Christianorū omniū lætitia: & exul-  
 tatione. Sed interrupit tantū gaudium Constantinopolis & *Constantinopolis*  
 Peræ expugnatio: In qua Constantinopolitanus Imperator *capta*  
 obtruncatus est: Et quod reliquū nobis erat: Orientalis robo-  
 ris: ac splendoris amissimus: Amisissis antea dudum Ierosolis-  
 mis: Antiochia: & Alexādia: tribus Ecclesiæ Catholice mu-  
 nitissimis Arcibus. Adnitente deinde Calixti Tertii Pontis-  
 ficis Legato: compluribusq; Cruce signatis Taurinū Vngari  
 defenderunt: multis hostium frucidatis. Et capta etiā ingenti  
 præda: quam nostris paulo post dissensionibus: & secordia:  
 cum omni usura rependimus: amisso Trapezuntis Imperio:  
 cum tota Pontica regione: & Bosphinæ Regno: cū bona Illyri-  
 ci parte. Recuperasset hæc omnia Pius Secundus prudentia:  
 & charitate in Christianos nulli prædecessorum Pontificum  
 postponendus: si dum in Conuentu Mantuæ celebrato hæc  
 meditat: omnis fere Italia intestinis odiis: & bellis caruisset:  
 Sed tota omnino recuperationis spes intēpestiua tanti Pon-  
 tificis morte sublata fuit. Et ita: nostra causa: tantum bonum:  
 nostris (ut diximus) malis: impeditū hucusq; sæpius extitit  
 Serpente magis indies: & Christianam dicionem occupāte  
 vicino iam: & potentissimo hoste. Ad nostros redeo: qui di-  
 uina ira perciti: post amissam Euboeam: & magnam Græciæ  
 atq; epyri partem: maiora bella parare: maiora odii & discor-  
 diarum domi militiaq; semina iacere: Accedente ad hoc Bo-  
 hemorum Regis perfidia: & in apertam iam heresim prolaps-  
 bantis: scelerataq; & Vrbi vicina opinione. Quæ demū om-  
 nia: aut maiori ex parte: Pauli Secundi sapientissimi Pontifi-  
 cis suasu: & prudentia sublata sunt. Carptim hæc attigi Pa-  
 tres: ut quæ: supra meos Annos: accidere: reminiscamini.  
 Quæ uero: mea ætate: gesta sunt: neminem ex uobis esse ar-  
 bitror: qui nō sicut ego: & melius me omnia norit. Quis est  
 enim: ad quem illius nunq̄ satis deploratæ cladis: quam ante



hos Viginti annos: in Illyrico accipimus: fama non perue-  
nerit! Quis est: qui pulcherrimas: & ditissimas Orientis: atq;  
Epyri Ciuitates ex corde: & oculis Christianorum a Turcis  
nuper erutas non deplorauerit! Omitto combusta s naues:  
amissas triremes: desideratum sepius nostri nominis robur.  
Quis est præterea: qui Iadrensem agrum quinque: eodem  
anno: Turcorum rabie uastatum: & ferro: ac flammis desolatū  
nesciat! Scardona celeberrimi olim Conuentus Ciuitas op-  
pugnata sæpius: hoc etiam anno: Et quod nuperime uidi-  
mus: amissis prope eam quatuor Oppidis: ipsa Dei magis q̄  
hominū præsidio defensa est. At in Ecclesia Modrusiensi: cui  
ego licet indignus nunc præsum: continuas excursions fieri  
uillas incensas: castra expugnata: & intra hos duos menses:  
duo ui capta: & diruta: abductaq; esse (prohdolor) plusq; duo  
millia Christianorū quis est: qui non audierit iam ingemue-  
rit iam: nisi nos hic in Vrbe: qui conuiuemus: obaudimus:  
dissimulamus! Prætereo reliquā Adriatici maris oram: Dal-  
matiamq; omnem: quæ & si assiduis incursionibus: uel ex eo  
maxime infestatur: q̄ quicquid in ea Equitum: aut peditū ro-  
boris erat: ad Italicos tumultus euocatum est: nisi tamen assi-  
duis Venetorū uigiliis: & ualidissima semper classe defende-  
remini: Tum etiā nisi bellicosi essent Dalmatæ: rupto iādiu  
eo obice: refractis illis claustris repagulisq;: Turcos in Italia  
corā uidissetis. Quid de Vngaris dicam: quibus tantus inest  
pro Christi nomine: pugnandi feruor: ut quantumuis pauci  
cum magno Turcorum numero congregari non uereantur!  
Quid de Polonis! quorū ita spectata est in uniuersos Chris-  
sti hostes strenuitas: ut ab armis in Turcos: Tartaros: Russos  
Valacchos: & alios eiusmodi Barbaros exercendis nunq̄  
respirent! Horum præsidio: & quibusdam quasi propugnacu-  
lis si careretis: experiremini profecto quid Turcorum rabies  
quid immanitas esset: Experiremini certe quantum sagittis ua-  
leant hostes hi: de quibus diximus: Videretis proculdubio &  
sentiretis q̄ longe uolent: q̄ acute pforent: & q̄ auide christis



num sanguinem siciant: qui equinum bibunt. Illud certe satis  
 constat profligatos sæpius a Decem annis: Vngarorū exerci-  
 tus: Et intra hos Sex menses: Quinq; fortissima eorū Castra  
 a Turcis in Illyrico esse expugnata: Et quod illis cōmune est  
 una cū Incolis absumpta. O ferrea Christianorū pectora: o  
 immites Christianos: qui hæc non uideant: non audiant: nō  
 credāt. Vnius olim Catonis sentētia: & Africanæ ficus (pro  
 Concione) ostensæ Senatū Populumq; Romanū ad delens-  
 dam Carthaginem impulit: Nos amissa sæpius Asia: Africa  
 & magna iam Europæ portio: continueq; Christianorū cæ-  
 des: & lachryme nil mouent: nos uicinior: potentior: crude-  
 lior: hostis nihil deterret. Sunt hic complures ex nostris: qui  
 post amissas paulo ante uxorē cum liberis: & fortunis omni-  
 bus: ad me miseri confugerunt: consiliū: & auxiliū implo-  
 rantes: Possem ego quoq; uobis hodie: Patres: hoc eodem in  
 loco: recentia & sanguinolenta adhuc istorū uulnera ostende-  
 re. Sed quousq; iam patiemini tam uicinū hostem? Quādiu  
 eum: ut clauos in oculis: & lāceas in lateribus feretis? An ex-  
 pectatis: dum parata: & deducta iam ingens classis Rhodum  
 occupet: aut Italiam depopuletur? Vereor profecto uereor:  
 & futurū certo certius credite: Patres: ne breui apud uos cæ-  
 nent (nisi provideatur) qui cum quibus diximus iam pransi  
 sunt. Multa reticeo: que quoniam nostra ætas uidit: & passa  
 (ne alia uulnera recrudescant) nō recensere satius existimo:  
 Vnum hoc certe nullo piaculo prætermittere possum: lon-  
 ge fœliciores illos Italis: cæterisq; Christiani orbis nationi-  
 bus existimandos: q; pro fide contra infideles perfidosq; pus-  
 gnant: Pro sanctissima religione: contra fœdissimā sectam  
 sanguineam fundit: Pro deo optimo maximo: contra turpissi-  
 mū Maumetum corpora telis obiciunt: mortem oppetunt:  
 Isti cōtra quid pro paucorū potentia: pro priuatis odiis: pro  
 simultatibus fecerint: dicat Brixia: exponat Rauenna: refe-  
 rat Hætruria: ædifferat calamitates suas Cisalpina Gallia:  
 Gallia item Transalpina: Flaminia: Liguria: Citetur Liris te-

B

*pugnae q; Inf  
 delec omiffis fidelit*



stis uictoria: inspiciantur urbana sepulchra: recenseatur His-  
pania: interrogetur Britania. Quid dicam magis? Perlustre-  
tur Europa: audiemus profecto sanguinem clamantē de ter-  
ra: & uoces occisorū dicentium: Vindica dñe: Vindica domi-  
ne: Vindica dñe sanguinem nostrum: quī effusus est. Et quod  
detestabile omnino dixerim: parum est Italicum cruorē Ita-  
lica manu fundi: nisi exteris etiam gentibus hauriendū præ-  
beatur. Possem ad hæc de perniciosissima illa Hydrūti inuas-  
sione: deq; continuis nostri nominis hostium: per Tyrthe-  
num mare: excursionibus (in temporis angustia concluder-  
er) multa dicere: Sed dicemus de his omnibus latius: cum  
pacatis Italiae rebus (hanc enim omnium quæ nūc uigent bel-  
lorum arcem esse iudico) Sanctissimæ expeditionis tempus  
aduenerit. Nunc uero quod reliquum iam est: ut cōmodius a  
me dici: & fieri a uobis postmodum possit: opere præcium  
existimaui: si de Ecclesia catholica aliquid (quantum tamen  
temporis breuitate dabitur) in medium adduxero: Illud enī  
necessarium in primis semper fore duxi: ut fidei nostræ caput  
Romana scilicet Ecclesia componatur ante omnia: instaure-  
tur: reformetur: Nam sicut grauissimus est morbus: qui a ca-  
pite diffunditur: ita optima est ualitudo: quæ ab optimo capi-  
te: tanq̃ a saluberrimo fonte inter cætera membra defluit: &  
corriuatur. Vidimus iam: quæ maiorū nostrorū: quæ nostra  
ætatē acciderint: Et hæc ferme omnia: aut maiorem eorū par-  
tem: nostra causa: nostris (ut diximus) malis perpassi sumus.  
Tædet uero pigetq; fidem: pietatem: religionē: nostris tem-  
poribus: ita tepuisse: Et pene dixerim: contabuisse uideri: ut  
uix earum nulla uestigia sint reliqua: Et in nobis: quo tempo-  
re: Ecclesia ab Hereticorū persecutionibus uacua summa  
pace: & libertate fruitur: tantopere fidem ac feruorēq; maio-  
rum nostrorū animis insitum refrixisse: ut cum Hieremia ue-  
re dicere possimus: Egressus est a filia Sion oīs decor eius: In-  
nocentiæ scilicet: & castitatis: Principes eius facti sunt ut arie-  
tes: hostes ingressi sunt sanctuaria eius: Ecclesias polluerunt:

de mal. actus regunt. q. j. f. 383. n. i. a



Virgines eius: & Iuvenes in captiuitate abierunt: Sacerdotes  
 & Senes spreuerunt deum: non est lex: non est mandatum: Iudicia per  
 uertuntur. Hæcine est illa Ierusalem: Ciuitas perfecti decoris:  
 & gaudium uniuersi Orbis: Hæcine illa filia Sion: sponsa  
 Christi: quæ una esse debet: Nostri uero: tanquam mendax illa  
 femina: quæ diuidi puerum petebat: diuiserunt eam sæpius  
 disciderunt: dilaniauerunt: Hæcine est illa filia Sion soror  
 Christi: quam maiores nostri commendatam sibi: pro uiribus  
 defenderunt: proprii sanguinis effusione: incorruptam conseruauerunt:  
 leiuniis: lachrymis: orationibus auxerunt: Nos contra: quibus artibus:  
 maiorem iam eius partem amiserimus: silentio inuoluam: Et de minima ista: quæ superat adhuc por  
 tione nihil dicam: Patres: Ponam digitum super os meum:  
 diiudicet seipsum unusquisque: & quæ afflictus animo: & pro  
 ueritate dixi: æquis auribus accipite: æquo animo ferte: & com  
 muncem omnium utilitatem / apertis (ut dicitur) oculis / prospice  
 cite. Sed ne fleueris filia Sion: quia ecce uenit Leo de tribu Iu  
 da: radix David: Ecce suscitauit tibi deus Saluatorem: qui sal  
 uabit te de manibus uastantium: & Populum dei de manu perse  
 quentium liberabit. Te Leo Beatissime Saluatorem expecta  
 uimus: Te liberatorem uenturum sperauimus: Ad te pro ac  
 captis cladibus: pro perperam gestis gementes: pro malorum  
 fine: & futuræ spe uictoriæ læti: & hilares clamamus: Impu  
 gna impugnantes nos: Apprehende scutum & gladium: &  
 exurge in adiutorium nostrum: Conclude aduersus eos: qui nos  
 persequuntur: & tabernaculum Sponsæ tuæ: quod manus im  
 piorum polluerunt / uindica: ut sicut Christianus populus te  
 solum: & uerum Pontificem ueneratur: Ita & Christiani no  
 minis hostes te religiosissimum metuant: te potentissimum con  
 tremiscant. Da hoc: Pater Beatissime / Iulii prædecessoris tui  
 & parentis optimi sanctissimæ memoriæ: da perpetuæ quie  
 ti: ut sicut lætatur iam te successore: sicut gaudet iam / te indi  
 ctum a se Concilium prosequi: & celebrare: Ita & conceptam  
 animo Ecclesiæ unionem: eiusque reformationem: & sanctissimam

3. 25. 7



mam contra Turcos expeditionem te omni desyderio expe-  
 tere: totis uiribus complecti uideat: & latetur. Vos uero Pa-  
 tres amplissimi (ingenue dicā quod sentio) nisi certus essem  
 maioribus iam auspiciis: & foelici ductu eius Sponsi: quem  
 deus nup̄ Ecclesie suae stabili fide iugauit: daturos sedulo ope-  
 ram: ut respublica nostra in his: quibus constituti sumus peri-  
 culis: uestra cura: uestro studio: uestra prudentia: nihil detri-  
 menti capiat: salua sit: liberetur: uiderer profecto iam nunc ui-  
 dere domos nostras deseriri: nos pro mancipiis duci: trahi: dif-  
 cerpi. Et in nos: qualia saepe antea actis temporibus: contume-  
 liarum omniu: & sceleru fieri exempla. Vos ego omnes ap-  
 pello Patres: qui aedificati supra fundamentum Apostoloru  
 sedetis super sedes Duodecim iudicantes. Illud pro uiribus  
 adnitimini: ut interiores & domesticae primu discordiae uas-  
 tatione sep̄ tollantur: Et iuxta Legislatoris nostri sententiam:  
 Portae inferi: id est inferiores mundi Potestates: aduersus Ro-  
 manam Ecclesiam: quae summa est: & suprema non praua-  
 leat. Quibus sublatis: tum demu cum apertis hostibus agen-  
 dum censeo. Serpentem uero fauissimi Scismatis Hydram:  
 charitatis igne: & pastoralis officii adustione: extinguite: ex-  
 siccate: ne quae nunc parua est scintilla: maximu paulopost in-  
 cendiū suscitaret. Vnaq; sit sponsa Christi: una amica eius: una  
 dilecta. Si quid praeterea in hac uniuersi orbis specula: uel in  
 continentium licentia honestati detraxit: uel si temporu ma-  
 lignitas aequitatis ac Iustitiae: quae humanarumq; diuinarumq; res-  
 rum fundamentu est: & conseruatix: lumen offendit: huius  
 sanctae Synodi iudicio emendetur: Quae charitatis clypeo:  
 potestatis muorone: misericordiaeq; ac seueritatis libra: bos  
 nos foueat: malos compescat: Et (maioris more) fortia confir-  
 met: debilitata instauret: iniusta in aequitatis girum reducat:  
 ut non quae sua sunt: sed quae Iesu Christi quesuisse / merito  
 comendetur: Cumq; restitutam sibi integritatis suae speciem  
 ac decorem sancta Romana Ecclesia uiderit: & filiis suis ipsa  
 glorietur: & no tantae parentis gloria indigni minime com-

mar. 16

scisma.

qd sinod  
 tenet debet  
 f. 384. 3

probem  
 factum e  
 inferam  
 quae no  
 omniu  
 cem am  
 temp. n  
 qualis e  
 terea: qu  
 sustinen  
 queut: u  
 damus:  
 (nostra  
 niq; qu  
 mum a  
 di dem  
 fiducia:  
 quid: in  
 agant: c  
 lataq; n  
 nibus d  
 tamen  
 mo: no  
 riorem  
 reip. R  
 rit. An  
 dei ber  
 suo neq  
 cum in  
 bis con  
 clesia d  
 omne  
 Iesu do  
 dubii f



probemur. Pacem uero non cum hostibus (prout haectenus factum est) sed cum nostris habeamus: Bellum illis: & arma inferamus: Cum his beneficiis certemus: & de recuperandis quae nostra sunt contendamus. Et cum ad amorem: qui rerum omnium causa est: & ad pacem: atque concordiam nati simus: pacem amplectamur: pacem amemus: pacem celebremus: ut temp. nram Christianam in pristina maiestate restituere: eaque qualis esse debet: posteris nris relinquere possimus. Illis praeterea: qui seruitutis iugum apud saeuissimos Turcos: iam diu sustinent: & redemptionis expectationem fere ulterius nequeunt: uel benigni alicuius Sideris salutare igniculo ostendamus: ne quod multorum annorum patientia / promeruissent (nostra id culpa: uel negligentia) amittere uideantur. Illis denique: qui hostium ipsorum faucibus expositi ad Quinquagesimum annum iam abducuntur: diripiuntur: uulnerantur: caedi demum assidue: & excidib. patent: & quorum: quasi deuotionis fiducia: in utranque aurem hucusque dormiuimus: erogemus aliquid: impertiamur aliquid: ut refecti aliquantulum uiriliter agant: confidant: & sint robusti: Ne forte rupto eo obice: sublataque media belli mora: hostilitatis impetus (quod flexis genibus depraecemur) nos quoque in praecipitum trahat. Muedemus tamen prius domos nostras: interiorum inquam: quae non fumo: non puluere: sed malis cogitationibus sordidatur: Exteriorum quoque prudenter disponamus: Commodissime enim reip. Rector ac moderator efficitur: qui suorumque prius extiterit. An forte arbitramini Patres Amplissimi eum Ecclesiam dei bene dispositurum: & diligentem fore de alieno: qui de suo negligens est: qui domum suam dispensare nescit: Et cum in societatem Iesu Christi uocati simus: non sint in nobis contentiones: neque scissurae: quarum consuetudinem Ecclesia dei habere non debet: Sed unanimes semper id ipsum omnes intendamus: quod construat: & aedificet in Christo Iesu domino nostro. Ita demum deformata reformabuntur: dubii sperabunt: nutantes confirmabuntur: fides exaltabitur:

*Com. in se p. 7*

*q. sequitur ex synodo.*



Iustitia uigebit: Pietas coletur: Religio stabit: Hostes pro-  
pellentur: aurea Pax reuocabitur: dicemusq; cū Esaia & can-  
tabimus: Exulta satis filia Sion: quia ecce Saluator tuus uen-  
ni tibi.